Q. D. O. M. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

SCORBVTO

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM

ANGARIAE WESTPHALIAE RELIQVA

PRAESIDE

IOANNE ADOLPHO WEDELIO

PHILOS. ET MED. D. PRAXEOS ET CHIMIAE P. P. ORD.

SERENISSIMORVM SAXON. DVCVM CONSILIARIO

ISENACENSIS AVLICO ET ARCHIATRO ET ACAD.

NAT. CVRIOSOR. COLLEGA

PATRONO AC PRAECEPTORE OMNI PIETATE DEVENERANDO

PRO LICENTIA

GRADVM DOCTORIS INSIGNIA ET PRIVILEGIA

MAIORVM MORE LEGITIME CAPESSENDI

PVBLICAE ET PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

EXHIBVIT

AVCTOR

CONRADVS FRIDERICVS Tieffenbach

RVGENVVALDENSIS POMERANVS.

AD D. OCTOBR. A. R. S. M DCC XXXIIII. H. L. Q. C.

IENAE LITTERIS IO. FRID. RITTERI.

I. N. I.

§. I.

SCORBVTVS est obſtructio viſcerum ſanguinem depurantium æquabilis, a ſanguine craſſo, lento, viſcido, tartareo, acrimoniam ſalinam eminentiorem immerſam habente, & partibus ſulphureis, balſamicis ac ſpirituoſis magis vel minus carente, dependens, huiusque depurationem ita lædens, vt non ſolum talis permaneat, ſed etiam deterior reddatur, eoque ipſo varios alios morbos & ſymptomata excludat.

§. II.

Sedes ſcorbuti principalis ſunt viſcera ſanguinem depurantia, hepar, lien, pancreas, meſenterium, renes &c. Horum enim beneficio in ſtatu naturali partes peregrinæ, hanc vitioſam ſanguinis conditionem efficientes, ſecedere & eliminari, balſamicæ ſulphureæ autem & ſpirituoſæ reſtaurari, euoluique decenter, debebant. Hic autem effectus cum malo hoc præſente,

 haud

haud conſpiciatur, neceſſe eſt, in his primario labem hanc reſidere.

§. III.

Quoniam vero hæc maſſæ ſanguineæ conditio in dictis viſceribus in melius haud mutatur, ſed, diuerſimode vitiata, per totum corpus circulatur, tam in partibus his illis, quam in toto ſæpe corpore, diuerſi morbi & ſymptomata excitantur, vt inferius patebit, adeoque locus, vbi hi effectus ſe manifeſtant, ſubiectum adæquatum oſtendit.

§. IV.

Cum in viſceribus dictis depuratio ſanguinis haud recte perficiatur, hæc autem, quia ſymptoma actionis læſæ eſt, a morbo quodam dependeat, morbum hunc, adeoque ſcorbutum ipſum, horum obſtructionem eſſe dicimus. Nam depuratio ſanguinis in his viſceribus tunc recte perficitur, quando ſanguis, ad viſcera accedens, in iisdem conuenientem adquirit velocitatem, & per hanc motum inteſtinum, huic rei idoneum. In ſcorbuto autem, cum ſanguis nimis craſſus, lentus, viſcidus & tartareus ſit, vt paulo poſt probabitur, eiusdem decens transitus per viſcera impeditur; ergo eius velocitas fit minor, quam par eſt; adeoque obſtructio viſcerum præſens eſt, & ſcorbuti genus conſtituit. Aequabilis hæc eſt obſtructio, quia repletio præter naturalis æquabilis adeſt. Contingere quidem poteſt, vt obſtructio hæc æquabilis in inæquabilem mutetur, non tamen ideo hæc de eſſentia ſcorbuti eſt, cum hic prius iamdum adfuerit, quam eadem orta eſt, adeoque ad effectum eius potius pertinet, ita facta.

§. V.

Differentiam ſpecificam præbet cauſa mediata proximior, qua tam ab adfectu hypochondriaco, quam lue venerea, diſtat. In his enim itidem obſtructio horum

viſce-

viſcerum æquabilis genus conſtituit, ſed ſanguis eandem faciens diuerſus deprehenditur. In ſcorbuto ſanguini craſſo, tartareo, iuncta eſt acrimonia varia eminentior, in adfectu hypochondriaco hæc minor, & occultata fere, occurrit; in lue venerea & craſſities ſanguinis non a tartaro, ſed pituita copioſiore & viſcidiore, prouenit, & acrimonia huic iuncta ſolum fere acida, magis vel minus roſiua, minus vero alia, adeſt. Tandem differentia ſpecifica ab effectu tam immediato, quam mediato, deſumta eſt, quem inferius declarabimus.

§. VI.

Immediata ſcorbuti cauſa eſt coarctatio cauitatis viſcerum, a repletione præternaturali æquabili per ſanguinem, dicta ratione deturpatum, facta. Coarctatio cauitatis cum ſit eiusdem ſpatii imminutio, hæc autem aliter fieri nequeat, quam per præternaturalem vel repletionem, vel parietum ad ſe inuicem acceſſionem, neque huius ſed illius phænomena adſint, illam præſentem eſſe, conſtat. Aequabilis hæc eſt repletio, cum inæquabilis ſemper tumorem efficiat, qui in ſcorbuto ordinarie adeſſe haud ſolet. Præter hæc vero etiam ad cauſam ſcorbuti immediatam requiritur, vt ab illo ſtatu ſanguinis, qui in definitione eſt poſitus, haud vero alio, dependeat. Hoc enim ſi eſt, alius potius morbus, quam ſcorbutus præſto erit.

§. VII.

Eſt itaque ſanguinis maſſa, vitioſe ita ſe habens, cauſa mediata proximior. Peccat autem qualitate & motu; quantitas enim maior per ſe ſcorbutum facere nunquam poteſt. Nihil tamen impedit, quo minus & plethora huic malo coniuncta eſſe queat. Qualitas hæc vitioſa eſt & craſſitudo ſeu lentitia tartarea, nonnunquam ſimul pituitoſa, & acrimonia ſalina eminentior, illi immerſa.

§. VIII.

Craffitudo & fpiffitas maffæ fanguineæ tam ex prægreffis caufis nonnaturalibus, reliquisque manifeftis, quam ex vrina fcorbuticorum, & reliquis huius morbi effectibus, conftat. Caufæ enim manifeftæ prægreffæ, quæ fcorbutum efficere obferuatæ funt, omnes ita fe habent, vt partes craffas, vifcidas, vel copiofius in corpus inferant, vel earundem fecretionem & excretionem impediant. Vrinæ fcorbuticorum in principio morbi eodem modo fe habent, vt in aliis cruditatibus, inualefcente autem morbo, & adultiori magis reddito, nonnunquam tenues quidem funt vrinæ, fed tamen vna intenfe rubræ, & ad fufcum colorem vergentes, fine vlla, vel haud notabili, fiti, & fic partes craffas magis folutas continentes. Frequenter autem craffæ reperiuntur, fedimentum craffum exhibentes, fundum matulæ petens, non minus tamen reliquo earundem liquore turbido permanente, & colore earum non vno modo fe habente. Et, licet aliquando crudæ appareant & tenues, feceffu particularum craffarum impedito, fub curatione tamen, legitime facta, craffiores, & copiofum fedimentum habentes, euadunt; manifefto argumento, fanguinem craffum adeffe. Idem teftantur tumores, & obftructiones aliæ variæ, in his illisque partibus, ab hoc malo ortum habentes.

§. IX.

Spiffior & vifcidior fanguis ad tranfitum, per vafcula vifcerum extrema & anguftiffima, decentem fubeundum, habilis non eft; cum eiusdem partes firmius fibi cohæreant, vt tam prompte a fe inuicem fecedere haud poffint; ergo hic impeditior fit, & repletio præternaturalis ac obftructio oritur. Atque hoc contingit, ordinarius licet impulfus adeffet, cum hic a fanguinis dicta conditione, & refiftentia inde orta

orta, debilitetur, vt ordinarius motus & velocitas consequi haud queat. Multo magis igitur obstructio hæc consurgit, quo magis impulsus in se quoque minor est, qui etiam sanguinem, alias bene constitutum, debite propellere haud valeret, nedum crassiorem redditum.

§. X.

Fit autem crassitudo sanguinis tam a partibus tartareis lentis, viscidis, in eodem accumulatis, quibus etiam haud raro pituitosæ coniunctæ videntur, quæ eandem augent; quam a defectu partium balsamicarum & spirituosarum. Veteres partes tartareas sub succi, seu humoris, melancholici, vel cacochymiæ melancholicæ, nomine simul comprehendebant, & horum abundantiam caussam scorbuti esse, recte adfirmabant. Accumulantur partes hæ tartareæ in sanguine, si vel copiosius in corpus inferantur, vel ex bonis alias alimentis adsumtis copiosius in corpore eliciantur, vel in corpore iamdum hærentes non sufficienter secernantur, & excernantur. Ita enim semper earum quantitas maior, quam par est, in corpore remanet.

§. XI.

Defectus partium balsamicarum & spirituosarum crassitiem sanguini conciliat, quia hæ, reliquis decenter & sufficienter interpositæ, agilitatem & mobilitatem sanguini conciliant, & impediunt, quo minus crassiores partes nimiam cohæsionem subeant, sed potius ad secretionem magis aptæ euadant. His itaque imminutis, vel debilitatis, contrarium fit, & lentor maior oritur. Deficiunt autem hæ partes, si vel non sufficienter restaurentur, vel nimis dissipentur, vel figantur & debilitentur.

§. XII.

§. XII.

Acrimoniam ſalinam eminentiorem craſſioribus partibus immerſam eſſe, docent dolores, vlcera, putrilago, irritationes, & ſimilia in ſcorbuto apparentia, vt & eiusdem cauſæ manifeſtæ præcedentes. Obſeruatur autem hæc acrimonia vel acida, vel lixiuioſa, vel acido-bilioſa, vel ſalſa ſeu media. Acrimonia hæc non quidem per ſe obſtructionem facit, determinatam tamen hanc reddit, vt effectus, ex hac obſtructione euenientes, alii emergant, quam in reliquis ſimilibus obſtructionibus, vbi acrimonia eiusmodi haud eſt coniuncta. Hæc autem ſalibus, in partibus tartareis exſuperantibus, debetur. Exſuperant ſalia, ſi vel maiore quantitate ingerantur, vel parcius, quam decet, eliminentur, vel ex alimentis ordinariis in corpore copioſius euoluantur & retineantur. Species vero ſalis exſuperantis, adeoque etiam acrimoniæ reſpondentis, ab ipſius temperamenti, & errorum diætæ prægreſſorum, conditione emergit.

§. XIII.

Motu progreſſiuo quoque ſanguis hic peccat, vt ille tardior & debilior ſit. Probat hoc ipſe pulſus ſcorbuto familiaris. Vtplurimum enim, & fere in omnibus, hoc morbo laborantibus, paruus, debilis & inæqualis apparet, niſi quando febris vehementia ad magnitudinem eum diſponit, qui tamen circa declinationem febris in paruum & inæqualem iterum redit, vt recte notauit *Eugalenus de Scorbuto p. 72-74.* & pluribus aliis locis. Dependet autem hic motus vitiatus partim ab ipſius ſanguinis craſſitudine (§. 9.) partim ab impulſus defectu. Impulſus deficit ob partes ſpirituoſas deficientes & debilitatas. Hæ enim fibris tam cordis, quam vaſorum viſcerum, hinc & muſculorum, vigorem conciliare debent, vt cor contractio-

tractionem satis validam, vasa viſcerum motum tonicum; muſculi autem motum voluntarium, debito modo præſtent. Cauſa itaque deficiente & debilitata, effectus quoque, ſeu impulſus deſideratus, expectari haud poteſt. Deficere autem ſpirituoſas has partes, non ſolum pulſus debilis, iam commemoratus, verum etiam laſſitudo & torpor totius corporis, artuum, & muſculorum, craſſities ſanguinis, iam tacta, & cauſæ manifeſtæ prægreſſæ, oſtendunt.

§. XIV.

Quæ igitur partes tartareas, lentas, viſcidas, in maſſa ſanguinea, vt & ſalia acria, augere, partes balſamicas autem & ſpirituoſas minuere, & debilitare, poſſunt, ad cauſas mediatas remotiores pertinent. In omni quidem temperamento adſunt partes tartareæ, lentæ, viſcidæ, ſecundum naturam quoque, quod matularum parietes euincunt, quibus ex crebriori vrinæ immiſſione ſucceſſiue tales adhæreſcunt, eosque obducunt, adeoque augeri a reliquis cauſis in tantum poſſunt, vt hic emergat ſtatus. Aptius tamen & vicinius huic morbo eſt temperamentum melancholicum, atrabilarium, & pituitoſum, cum in prioribus tartarus ſecundum naturam abundet, adeoque promptius incrementum præternaturale adquirat, quam in reliquis. In pituitoſo autem partes tartareæ a pituita exſuperante lentorem maiorem accipiunt. Præterea in melancholico partes ſpirituoſæ magis fixiores ſunt, quam in reliquis, & pauciores & debiliores facile reddi poſſunt, quod & de temperamento pituitoſo valet, vbi eædem & pauciores & torpidiores adſunt. Sali acido acri augendo magis aptum eſt temperamentum melancholicum; lixiuioſa ſalia in temperamento bilioſo citius incrementum capiunt; acido-bilioſa autem in atrabilario, vt ſalſa ſeu media in ſeroſo & pituitoſo eminentiora reddi queunt.

 §. XV.

§. XV.

Aetas media, ob errores diætæ enormiores, facillime sibi contrahere hunc morbum poteſt, nulla tamen ex reliquis ætatibus exemta eſt, cum infantes, pueri, adoleſcentes, viri, & ſenes, eodem laborare, obſeruationes teſtentur. Vterque ſexus promiſcue ſcorbuto eſt expoſitus, niſi, quod melior, in diæta licentioſius peccando, promptiorem eius acceſſum inuitet. Habitus corporis nullus ab hoc malo alienus eſt. Diſpoſitio hereditaria tenellis ſæpe infantibus hunc adfectum manifeſtum infert, in aliis autem, ſi remiſſior ſit, ſub incremento ætatis effectum ſuum oſtendit, maxime, ſi diæta eidem non tam contraeatur, quam potius fomentum & augmentum præbeatur.

§. XVI.

Aer frigidus & humidus, craſſus, vliginoſus, partes tartareas, craſſas, lentas, ſanguinis magis adhuc condenſat, & inhabiliores ad ſecretionem & excretionem reddit, adeoque earum prouentum auget; transſpirationem inſenſibilem impediendo ſalium diſceſſum prohibet, quæ hinc craſſioribus partibus magis immerguntur & adhæreſcunt, & acriora euadunt; ſpiritus præterea minuit, eorum euolutionem impediendo, debilitat figendo, & torpidiores reddendo. Atque hoc in cauſa eſt, cur in locis frigidiori in climate ſitis, paludoſis & maritimis, ſemper fere tali aere præditis, ſcorbutus frequentius occurrat, & ordinariam ſuam ſedem habeat, & frigidioribus quoque anni temporibus facilius & vehementius homines adfligat.

§. XVII.

Maiore copia, ſi cibi in corpus inferantur, licet alias boni ſunt, cum reſolui debito modo nequeant, partes lentas, viſcidas, tartareas, in chylo, hinc & in ſanguine relinquunt, vt &, ſi nimis inordinate adſu-

man-

mantur. Multo magis autem nimiam earum copiam ſanguini ſuggerunt cibi lenti, viſcidi, acidi, muriatici, fumo indurati, vt & animalia, eorumque partes, aere exſiccata, ex farina parata non fermentata, placentæ, panis nimis vel recens, vel durior, ſiccior, biscoctus, leguminoſa, lacticinia, maxime caſeus acris, antiquus, carnes duriores, piſces copioſi, dulcia ſaccharata, maiore quantitate comeſta. Per victum talem craſſum non ſolum dictæ partes in ſanguine augentur, verum etiam ſulphureæ balſamicæ & ſpirituoſæ minuuntur, ſalinæ autem acres retinentur. Materiam enim ſpirituoſis reſtaurandis aptam vel plane non, vel parciſſime, continent, & craſſæ ſpirituoſas in ſanguine obtundunt, figunt, earundemque decentem euolutionem impediunt, adeoque easdem depauperant & debilitant. Salinæ acres copioſius craſſis tartareis adhærent, & ſic earum ſecretio impeditur, vnde incrementum capiunt, & tandem nimis auctæ, ſeceſſum inconuenienti tempore, & loco, adquirunt, morbosque alios excludunt.

§. XVIII.

Potus deficiens ſpiſſitatem auget, nimius & ſpirituoſus acorem figentem & tartareum relinquit, ventriculum & viſcera debilitat. Vinum auſterum magis adhuc eminentes tartareas partes efficit. Aquæ niuoſæ potus, exhauſtis particulis ſubtilioribus, terreſtres craſſas ſanguini infert, &, cum ad ſolutionem vtilium in cibis partium ineptæ ſint, hæ arcentur, quo minus ſanguini accedant, inutilium igitur maior fit acceſſus. Paluſtres aquæ hauſtæ ad putrilaginem vergunt, & lymphæ, ſalibus eiusmodi iamdum refertæ, ſimilem ſtatum inferunt, magis autem adhuc id fit, ſi iamdum corruptæ & verminoſæ euaſerint. Ad claſſem hanc ore adſumendorum quidam etiam referunt medicamenta, quæ auſtera, adſtringentia, figentia & coagu-

lantia, empirice, & contra rationem conuenientem, adhibita, ſpiſſitudinem & fixitatem augent, in quibus etiam nimius & inconcinnus corticis chinæ de China vſus reperitur.

§. XIX.

Nimius ſomnus, torporem ſpiritibus conciliando, & ſufficientem motum impediendo, retentioni particularum craſſiorum fauet. Vigiliæ autem nimiæ ſpiritus abſumunt & debilitant, lympham blandam minuunt, craſſiorem & acriorem reliquam reddunt. Motus nimius, eadem fere ratione, aliquando concurrere poteſt. Magis tamen otium ſcorbuto fabricando inſeruit, cum partes craſſiores & lentæ, impulſum ſufficientem niſi habeant, nec ſecernantur, nec excernantur, nec ſpirituoſarum & agiliorum liberatio & euolutio conueniens obtineri poſſit, quin magis ſic irretiantur, figantur & obtundantur.

§. XX.

Ex animi adfectibus maxime meror, triſtitia, curæ, huc pertinent, potiſſimum, ſi diutius his indulgeant homines, & victus vna craſſus adhibeatur. Studio enim tunc ſpiritus in motu ſuo impediuntur, debilitantur, & minuuntur, adeoque ſanguis & craſſior euadit (§. 11.) & impulſu debito deſtituitur. (§. 13.). Imminuta decenti excretione alui, vrinæ, menſium, hæmorrhoidum &c. etiam partium incongruarum, craſſarum, acrium, retentio fit, vt nimiam partium vtilium, ſpirituoſarum, balſamicarum, & ſimilium, euacuationem, idem effectus ſequitur, quoniam illæ tunc potiores & eminentiores euadunt.

§. XXI.

Illi morbi, qui a tartareis, craſſioribus, viſcidis, lentis, partibus, in ſanguine auctis, dependent, viciniores noſtro ſunt malo, cum longe promptius ad talem

gradum,

gradum, qui in ſcorbuto reperitur, accedere valeant, & acrimoniam ſalinam maiorem concipiant. Vnde ex malo hypochondriaco, quartana, cachexia, melancholia, mania, & adfectu hyſterico, transitus in eundem non difficilis fit.

§. XXII.

Effectus ſcorbuti immediatus, ſeu ſymptoma eſſentiale, eſt depuratio maſſæ ſanguineæ eo modo vitiata, vt partes tartareæ, lentæ, viſcidæ, & his immerſæ ſalinæ acres, ſufficienter haud ſecernantur, & excernantur, adeoque vel conſeruentur, vel augeantur, ſpirituoſæ ac ſulphureæ balſamicæ vero non rite euoluantur, ſed debilitentur & minuantur. Cum enim per obſtructionem viſcerum, iam oſtenſam & probatam, motus inteſtinus ſanguinis, quo ſeceſſus partium vitioſarum, & euolutio ſpirituoſarum & balſamicarum, in viſceribus dictis fieri debebat, vitiatus euadat, & ſine hoc ſeceſſu, ſeu ſecretione, etiam earum excretio fieri nequeat, neceſſario hic effectus ſequitur. His itaque partibus vitioſis in maſſa ſanguinea permanentibus, ſpirituoſis autem & balſamicis deficientibus, debentur omnes effectus reliqui ſcorbuti, qui ſunt morbi & ſymptomata, in eodem occurrentia, varii generis. Diuerſitas horum effectuum tam a diuerſa conditione partium tartarearum, lentarum, & viſcidarum, & ſalium, quam qualitate & proportione horum diuerſa, hinc & a gradu defectus & debilitatis ſpirituum, & ſulphurearum balſamicarum, prouenit.

§. XXIII.

Minori gradu abundantes dictæ partes vitioſæ, & ſimili modo deficientes ſpirituoſæ, laſſitudinem ſpontaneam efficiunt, & mouendi artus difficultatem quandam, tam in toto corpore, quam inprimis in cruribus, quæ totius corporis molem ſuſtinere debent. Sanguis

guis enim, ob craſſitiem & impulſum minorem, & ſpiritus animales, ob debilitatem & defectum, ad muſculos haud vegetum ſatis acceſſum habent, acrior autem ſanguis vna cum ſit, ſenſum laſſitudinis moleſtum partibus conciliat. Vnde ſenſus grauitatis corporis, & difficultas ambulandi, ſequitur, potiſſimum ſub adſcenſu vel deſcenſu, in quibus alias maius virium robur requiritur, quod hic abeſt. Eandem ob cauſam quietis deſiderium ita adfectos magis tenet. Senſus huius laſſitudinis in quibusdam, qui acriorem paulo habent ſanguinem, magis ad dolorem accedit, qualis in ſanis a laboribus nimiis ſentiri ſolet, atque id in omnibus muſculis videtur. Nec ſomnus in his laſſitudinem ſedat, quæ poſt eundem eodem fere modo percipitur. Præcordiorum auguſtiam, & reſpirationem difficilem, inprimis a motu paulo maiore, percipiunt, minore tamen adhuc gradu. Atque hæc non tam a bronchiis adfectis fit, quam a muſculis, reſpirationi inſeruientibus, ob lentorem ſanguinis, & defectum ſpirituum, debilitatis, vt & a ſanguinis difficiliori per vaſa pulmonum tranſitu, ob eundem eiusdem ſtatum. Viuidus faciei color a ſtatu ſuo declinare quoque incipit, leuius tamen, & eo minus, quo magis in fieri adhuc eſt ſcorbutus. Nam omnia hæc, ſeorſim vel coniunctim in ſcorbuti initio apparent.

§. XXIV.

Magis paulo adhuc incrementum ſi ceperint partes tartareæ, craſſæ, & lentæ, & his immerſæ ſalinæ, ſpirituoſæ autem & balſamicæ notabilius paulo imminutæ, & debilitatæ, euaſerint, tam modo dicta ſymptomata grauiora pauliſper redduntur, quam alia excluduntur. Reſpiratio enim magis adhuc difficilis, maxime a motu, etiam leuiori, corporis, ſentitur. Motus voluntarius inprimis crurum, adhuc debilior eſt. Laſſitudo & languor notabilior, & moleſtior, adeſt. Facies euadit

pallida,

pallida, ſubtumida, ex pallido liueſcens, in quibusdam, vbi lixiuioſa ſalia præſentia vna ſunt, roſea videtur, & tunc magis occultatur reliquus ſanguinis ſtatus. In gingiuis rubor, pruritus, dolor, & tumor, ſe exerit, facileque, ſi contingantur, ſanguinem fundunt, dentes vacillantes quandoque redduntur, & halitus oris fœtidus aliqualis ſubinde ſentitur. Tumor crurum per interualla apparet. Maculæ effloreſcunt rubicundæ, puniceæ, flaueſcentes, & cæruleſcentes, in pedibus partibusque reliquis, pauciores vel copioſiores. Dolores adfligunt partes varias, tam internas quam externas, abdomen, lumbos, dorſum, artus, caput, & ſedem mutare ſolent, ſecedentibus ibidem ſalibus, &, ſtaſi expedita, alibi poſtmodum iisdem euolutis, & eandem fabulam ludentibus. Cardialgia, tormina colica, aliaque, obſeruantur. Hæmorrhagiæ etiam, mitiores tamen, ſub hoc ſtatu occurrunt, tam narium, quam aliæ, quæ acrimoniæ rarefactiuæ, mitiori adhuc, emergenti, & circulo ſanguinis, inæquali reddito, debentur. Et hæc quoque haud omnia ſimul, ſed alia in aliis magis, emergunt.

§. XXV.

Vlterius auctæ partes craſſæ, tartareæ, & magis concentratæ, actiuioresque, ſalinæ, factæ ſi ſint, maius autem detrimentum balſamicæ & ſpirituoſæ acceperint, deterior etiam ſcorbuti gradus, & ſymptomata vehementiora, conſurgunt. Reſpiratio ſæpe euadit ſumme difficilis, & anxietas præcordialis, tanta, vt, ſi tantiſper moueantur ægri, vel erecti ſedere velint, lipothymia corripiantur, decumbentes autem melius iterum ſe habere adfirment, liberiorque efficiatur reſpiratio. Crura adhuc magis inhabilia ad ſuſtinendum corpus redduntur, & paralytica quaſi euadunt. Vera tamen paralyſis hæc non eſt, quam differentiam *Eugalenus* eleganter oſtendit. Gingiuæ putredinem concipiunt,

&

& foetorem, inde prouenientem, ſpirant grauem, magis magisque abſumuntur, cruentæque ſunt, imo gangrænoſæ etiam fiunt. Dentes magis vacillant, peregrino colore, flauo & nigro, tinguntur, & carie abſumuntur, & excidunt. His oris malis præſentibus, ſtomacace dicitur hic ſcorbuti gradus. Tumor crurum conſtans magis ſe exerit, vel durus circa finem tibiarum, vel mollis magis & laxus. Maculæ vel in cruribus, vel aliis partibus, apparentes liuidæ magis ſunt, vti totum crus aliquando tali colore deturpatum cernitur. Dolores, in quibuscunque partibus occurrentes, longe vehementiores ſunt, rodunt, lancinant, vagique etiam aliquando ſunt, vt in arthritide vaga ſcorbutica maxime videtur, noctuque exacerbantur haud raro. Hæmorrhagiæ grauiores, imo, grauiſſimæ, ſæpeque lethales, excitantur, ſalibus nimis rarefactiuis & reſoluentibus factis, vt ſanguis vel per nares, vel ex pulmonibus, vel ex ventriculo, vel ex inteſtinis tenuibus, vel ex vaſis hæmorrhoidalibus, ex renibus, ex vtero, ita profundatur, vel ex locis inſolitis aliis, gingiuis, labiis, poris cutis, nulla tamen apertura conſpicua præſente, penetret.

§. XXVI.

Salia, craſſis partibus immerſa, ſi partes ſeroſas gelatinoſas nimis fundant, & reſoluant, in vniuerſo corporis habitu ſudor copioſus & nimius oritur, qui nimis continuans atrophiam ſcorbuticam, & maciem, poſt ſe trahit. In glandulis ſaliualibus ſi hoc eueniat, ſputatio continua ſequitur. In ventriculo ſi hæc acrimonia irritet, fit vomitus ſcorbuticus, vel etiam conatus vomendi inanis. In inteſtinis ſi dicta ſalia ſtimulum præſtent, diarrhoeæ excitantur. In viis vrinariis ſe exerentia ſtranguriam inferunt. Roſiua reddita hæc ſalia vlcera excitant, eaque magis rebellia, & maligna, in cruribus inprimis, hinc & aliis partibus externis.

Leuio-

Leuiora etiam, & ſuperficiaria viſa, vt lichenes, furfures, ſæpe ſatis rebellia, & curationi reſiſtentia, ſunt, quod & de ſcabie ſcorbutica valet. Profundiora autem & grauiora non minus occurrunt, tam ordinaria remedia eludentia, quam alias quoque maligniora. Eadem roſiua ſalia, maiorem adhuc gradum ſi adquiſiuerint, internarum quoque partium exulcerationem & corruptionem efficiunt. In pulmonibus hinc phthiſis inde emergit. In hepate, liene, pancreate, meſenterio, corruptio & conſumtio obſeruatur. Imo oſſium, interius latitantium, caries orta hanc agnoſcit ſæpe cauſam. Sphacelus, cum & ſine vlcere, præuia gangræna, vel minus, eueniens, iisdem ſalibus, ita deturpatis, debetur.

§. XXVII.

Lixiuioſa vel acido-bilioſa ſi emineant ſalia tartarea, calida vna ſanguini conciliatur intemperies, & tunc ſcorbutus calidus vocatur. Excitatur inde calor vel conſtans, vel vagus, ſine febri tamen, in toto corpore, tum alias tum poſt cibum; aliquando in quibusdam tantum partibus ſe exerit, facie v. g., inprimis vero in volis manuum. Inflammationis etiam ſpecies inde excitantur, mitiſſima in purpura ſcorbutica, mitior in eryſipelate, tam communi, quod ab hac fouetur non raro; quam fixo, diutius durante, quod & ſcorbuticum ſeorſim appellatur. Grauiores vero etiam inde emergunt inflammationes pedum, hinc & aliarum quandoque partium, imo ipſa quoque gangræna. Fermentifica ſi fiant hæc ſalia, febres conſurgunt ſcorbuticæ, continuæ, vel mitiores vel grauiores, ſæpe etiam malignæ & periculoſæ ac pernicioſæ, vti & hecticæ & lentæ non ita raro ſcorbuto debentur. Non minus intermittentes variæ hunc agnoſcunt fontem, inprimis autem quartana vel inuenit ſcorbutum, vel facit. Tertianæ etiam typum, & alium, obſeruant, quandoque

C ſine

ſine ordine acceſſiones oſtendunt. Acida vero fixiora ſalia, craſſioribus immerſa, ſi abundent, torpidioraque omnia, & ſine calore, ſint, frigidus audit ſcorbutus.

§. XXVIII.

Ad fibras nerueas, motui inſeruientes, ſi penetrent ſalia hæc ſcorbutica, conuulſionem, tam totius quam partium, motus conuulſiuos, tremorem, & epilepſiam, faciunt. Spiritibus animalibus in cerebro ab acido-bilioſo ſcorbutico infectis, & efferatis, mania; ab acido figente depreſſis, & in motu turbatis, delirium melancholicum, oritur.

§. XXIX.

Seri circulum impedientes craſſæ, lentæ, tartareæ, partes tumores faciunt, non tantum pedum, ſuperius iam recenſitos, ſed etiam alios, nodos in brachiis & pedibus glandoſos, duros, hydropem ſcorbuticum. Eædem, ſi inæqualem reddant nutritionem, producere quoque ſolent rachitidem. Alui etiam obſtructio in quibusdam occurrit, ob ſerum fluxile deficiens, & ob acidum auſterum tartareum hic decubitum faciens. Grumeſcentia ſanguini ſi, ob craſſas partes & acidas auſteras nimis abundantes, ſpirituoſas autem magis deficientes, inferatur, lipothymiæ in ſcorbuto facile accedunt, quandoque & mortem poſt ſe trahunt. Fixior & halituoſior ſanguis, in venis pergere non rite valens, varices excitat, vt in venis raninis, in labiis, in pedibus, aliisque locis videntur. Subſiſtens in ſubtiliſſimis cutis vaſculis ſanguis, magis deturpatus, maculas nigras efficit. Obſtructionem neruorum ſi craſſæ & acidæ figentes partes pariant, paralyſis ſcorbutica fit, non tantum in cruribus, vt ſupra diximus, ſed in omnibus partibus, vel ſeorſim vel coniunctim. Cerebri poros ſi ita repleant, apoplexia quoque emergit. Sulphureæ narcoticæ iisdem ſi immerſæ ſimul hæreant,

etiam

etiam poros cerebri replere, & ſoporem & carum excludere valent, vt debilitas & defectus ſpiritum memoriæ debilitatem poſt ſe trahere poteſt. Qualem pulſum, qualesque vrinas, ſcorbutus efficiat §. 12. & 13. iam dictum eſt. Grauiorem ſcorbutum etiam contagioſum eſſe, experientia docuit.

§. XXX.

Hos, aliosque, effectus excludere ſcorbutus poteſt & ſolet, vt obſeruationes ſatis id confirmant. Ex horum autem varia præſentia, cum vel pauciores, vel plures, adeſſe poſſint, mitiores vel grauiores, præcipuæ ſcorbuti differentiæ determinantur. Pauciores enim & mitiores gradum minorem, grauiores vero & plures gradum maiorem, grauiſſimi autem ſummum notant. Ratione durationis eſt vel incipiens, vel diutius paulo præſens, vel confirmatus magis, & inueteratus. Ratione cognitionis eſt vel manifeſtus, vel latitans. Ille eſt, qui talia ſymptomata exhibet, quæ eundem ſtatim produnt, hic autem, qui alios morbos excludit, qui etiam ab aliis cauſis, quam ſcorbuto, proueniunt, adeoque coniectura artificioſa eiusdem præſentia erui debet. Ratione intemperiei coniunctæ eſt vel calidus, vel frigidus, vt ex dictis (§. 27.) iam conſtat. Ratione ſubiecti, vbi effectus ſcorbuti ſe exerit, eſt vel vniuerſalis, vel particularis; ille eſt, ſi in toto corpore ſe oſtendat, hic autem, ſi vel in gingiuis, vel pedibus, vel alia parte, effectus tantum conſpiciatur.

§. XXXI.

Cognitio ſcorbuti præſentis, ſi tales effectus ex dictis adſint, qui aliis morbis haud ſunt communes, non eſt difficilis, hoc autem ſi ſit, non niſi ab illis, qui in noſtra arte ſatis ſunt exercitati, haberi poteſt. Gingiuarum enim laxitas, corruptio, putrilago, cruentatio, crurum maculæ, diuerſæ magnitudinis, rubicun-

dæ, purpureæ, ad liuidum colorem vergentes, nigræ, horumque vlcera maligna, difficillime sanabilia, arthritis vaga ſcorbutica, &c. ſatis omnino teſtantur, ſcorbutum adeſſe. Sed ſæpe adeſt ſcorbutus, vbi hæc non videntur, cum aliis potius in partibus, aliisque effectibus ſe exerat, non minus tamen grauibus & periculoſis; aliis itaque opus habemus ſubſidiis, quibus deprehendi hoc mali genus recte poſſit.

§. XXXII.

Maxime igitur, quemcunque effectum edat ſcorbutus, ratio haberi debet pulſus, reſpirationis, & vrinæ. Pulſus enim, §. 12. deſcriptus, reſpiratio, cum anguſtia præcordiorum & anxietate, difficilis (§. 23.) & vrinæ §. 13. deſcripta conditio, eius præſentiam patefaciunt. Non minus languor, crurum inprimis, hinc & totius, inclinatio ad lipothymiam in morbo alias exiguo, ſimiliaque ex reliquis effectibus præſentia, vel breui, vel longius, prægreſſa, de eodem teſtantur. Cauſæ prægreſſæ manifeſtæ quælibet, ſuperius recenſitæ, in quibus potiſſimum victus craſſus, mœror, triſtitia, curæ, diutius durantia, attendi debent, ſigna quoque præbent confirmantia. Magis adhuc de eodem certi reddimur, ſi ordinaria remedia adfectum præſentem remouere haud valeant, quin potius peior euadat, antiſcorbutica autem effectum deſideratum edant.

§. XXXIII.

Leuior ſcorbuti gradus vitæ haud inſidiatur; quo grauior autem euadit, eo maius etiam periculum inferre ſolet, atque hoc eo magis, quo minus mature apta remedia fuere adhibita; ſummum vero ſi adquiſiuerit gradum, certum exitium inſtat. Mitior gradus, imo etiam grauior, niſi partes internæ & viſcera labem grauiorem, vel corruptionem & incipientem deſtructionem, ſuſceperint, curationem recipere adhuc

poteſt,

poteſt, mature ſi inſtituta ſit; vel certe leuamen & mitigatio, vitæque vlterior conſeruatio, obtineri poterit, plenaria mali remotio ſi fieri nequeat.

§. XXXIV.

Diuturnum malum eſt, nec cito coerceri remediis poteſt, niſi admodum recens & leue adhuc ſit. Citius tamen, ſi ſuperabile adhuc ſit, tollitur, ſi æger exacte omnia obſeruet, quæ ſanandi cauſa ei præſcribuntur. Lente etiam incrementum capere ſolet, niſi errores grauiores diætæ continuati illud promoueant. Mitior eiusdem, curatione ſi obtentus fuerit, gradus, nec tamen exſtirpari poſſit penitus, ad vltimam ſenectutem perdurare poteſt, ſi mitigatio, & tempore verno & autumnali præſeruatio, recte inſtituatur & obſeruetur.

§. XXXV.

Ad ſalutem tendit ſcorbutus vel obſtructione viſcerum dicta penitus correcta, & hinc depuratione ſanguinis plenarie reſtituta, vel, in malo minus perfecte ſanabili, per continuatam mitigationem & præſeruationem, modo laudatam. Ad mortem autem abit, ſi humores vitales in tantum vitientur, vt morbi lethales conſurgant. Reſpiratio, ſumme difficilis reddita, cum anxietate præcordiali grauiſſima, ſæpe in ſyncopen lethalem abit, & quidem haud raro ſubito. Hæmorrhagiæ grauiſſimæ quæcunque, nulla arte compeſcendæ, ſi eueniant, ſic quoque vita perit. Sudor nimius colliquatiuus ſi permaneat, atrophiam & maciem, ipſamque mortem, infert. Vomitus nimis vrgens, diarrhoeæ colliquatiuæ, niſi mature mitigari queant, lethales fiunt. Ita quoque vlcera, vel prius neglecta, vel ſtatim ſumme maligna exiſtentia, ſphacelum, & hinc mortem, poſt ſe trahunt. Quidam ob hepatis, lienis, aliarumque partium internarum, exulcera-

ulcerationem, corruptionem, & absumtionem, a scorbuto inductam, moriuntur, quorsum & phthisis pertinet. Sphacelus etiam externarum partium, si resisti satis haud queat, e medio scorbuticos tollit. Alii ob inflammationem, a scorbuto excitatam, grauiorem, gangrænamque, sphacelo subsequo, pereunt. Febres malignæ, a scorbuto ortæ, funestæ sæpe sunt. Interdum conuulsionibus, & motibus conuulsiuis, ipsaque epilepsia, mediantibus, scorbutus necat. Hydrope scorbutico haud pauci moriuntur. Nec minus syncope, apoplexia, adfectus soporosi, aliique a scorbuto orti, vltimos labores adferunt.

§. XXXVI.

Scorbutum si recte curare velimus 1) obstructio viscerum sanguinem depurantium (§. 4 - 6.) expedienda est, 2) Huius effectus seu symptomata & morbi ab eodem facta (§. 22 - 29.) remoueri & corrigi debent. Obstructionem hanc expediunt, quæ massæ sanguineæ crassitudinem tartaream, nonnunquam simul pituitosam, (§. 7. 8.) eique immersam acrimoniam eminentiorem (§. 12.) corrigunt, motum eiusdem vitiatum (§. 13.) restaurant, &, si forsan nimis vna abundet, (§. 8.) ad decentem quantitatem reducunt. Causis enim remotis, effectus vt cesset, necesse est.

§. XXXVII.

Crassitudinem massæ sanguineæ emendant, quæ partes tartares, lentas & viscidas, accumulatas, vt &, si coniunctæ sint, pituitosas exsuperantes, corrigunt, & minuunt, partes balsamicas & spirituosas vero restaurant, & roborant. (§. 10.) Partes tartareas, lentas, viscidas, corrigunt aperientia, quæ vel acidum figens & coagulans absorbent, inuertunt & eneruant, vel coagulabiles & crassas resoluunt, & fluxiles reddunt.

Absor-

Abſorbent, reſoluunt, & roborant martialia: crocus martis aperitiuus, ſulphuratus, vitriolatus, ſapphirus occident. ppt. antimonium martiale cachecticum, vitriolum martis, tinctura mart. cydoniata, pomata, tartariſata, helleborata, tinctura mart. Zwelferi, eſſ. vitrioli mart. Ludouici, eſſ. vitrioli mart. Wedelii. Abſorbent & reſoluunt lapides cancrorum, chelæ eorundem, antimon. diaphoreticum, antihecticum Poterii, corall. mater perlarum, conchæ ppt. cinnabaris natiua & antimonii. Reſoluunt partes tartareas lentas & viſcidas acida, tam mitiora quam paulo fortiora: acetoſa, acetoſella, harumque conſeruæ, poma citrea, granata, limonia, fructus berberum, rubi Idei, mori, tamarindi, cryſtalli & cremor tartari, hepaticum rubrum Dreſdenſe, ſpiritus ſalis, vitrioli martis, aperitiuus *Penoti*, oxymel ſimplex, oxymel ſquilliticum, ſimplex vel compoſitum. Reſoluunt alcalia fixa, vt ſalia plantarum, abſinthii, card. benedicti, centaur. minoris, tinctura tartari, ſimplex & compoſita, tinctura antimon. tartariſata, vt & celeberrimi *Hoffmanni*, aliorumque, anima rhabarb. antimoniata. Reſoluunt alcalia volatilia, ſpirit. ſal. ammon. vrinoſus, ſpiritus cornu cerui, eboris, vt & ſalia volatilia, vel ſimplicia vel oleoſa, & aromatica reddita. Reſoluunt ſalina media, & vel volatilia, vt liquor cornu cerui ſuccinatus, vel fixiora, vt arcanum tartari, arcan. duplicat. Mynſichti, ſal polychreſt. Syluii, nitrum vitriolatum, nitrum depuratum &c.

§. XXXVIII.

Reſoluunt partes tartareas craſſas etiam ſalina implicita, qualia ſunt *diaphoretica*, vt mixtura ſimplex, vel ſola miſcela parata, vel rectificata, mixtura ſimpl. antiſcorbutica *Wedelii*, eſſentia lignorum, decocta lignorum; *acria fixiora* & temperatiora, rad. ari in pulue-

pulueribus magis adhibenda, herba becabungæ, quæ temperandis volatilioribus inseruit in succo, decoctis, infusis &c. *acria volatilia*, quæ alias κατ' ἐξοχὴν antiscorbutica vocantur, rad. raphani rusticani, allii, cepæ, herba cochleariæ, nasturtii, aquatici & hortensis, erysimi, persicariæ, sedi vermicularis acris, costus verus, sem. sinapi, erucæ, nasturtii, cochleariæ; *amara*, rad. trifol. fibrin. cichor. taraxaci, oxylapathi, rhabarbari, vincetox. caryophyllat. helenii, chelidon. maioris, herba trifol. fibrin. scolopendrii, cuscutæ, epithymi, hepat. nobil. scordii, agrimoniæ, capill. veneris, anagallidis, antemisiæ, chamædr. chamæp. cardui benedicti, summit. cent. minoris, absinthii, fumariæ &c. elixir proprietatis antiscorbuticum, alcalicum, aromaticum, cum aqua vel spiritu cinamomi paratum, vt & cum aceto destillato confectum, aliisque modis variatum; *aromatica*, sale volatili oleoso pollentia, vt rad. leuistic. angelic. zedoar. pimpin. albæ, carlinæ, calam. aromatici, herba maioranæ, saluiæ, melissæ, rutæ, menthæ, cinamomum, cubebæ, amomum Plinii, schœnanthum, cardamom. minus, caryophyll. aromatici, pulu. stomach. Quercet. species aromaticæ officinarum variæ, olea destillata, aromatica, ætherea, cochleariæ, caryoph. ligni sassafr. citri, aurant. &c.

§. XXXIX.

Resoluunt partes tartareas & fluxiles reddunt humectantia & diluentia, vnde prosunt ex vegetabilibus recensitis parata infusa, & decocta, tam ordinaria, quam pugillaria, instar decocti herbæ Thee adhibenda. Prosunt etiam hoc nomine acidulæ & thermæ, præmissis tamen reliquis remediis, corpus ad harum aquarum vsum satis præparantibus, quo neglecto male etiam cedere solent. Acidulæ tam in calido, quam frigido,

scor-

ſcorbuto conueniunt, thermas autem non fert calidus, ſero blando deficiente, vnde hæ in frigido tantum locum habent, reliquis ſimul circumſtantiis conſentientibus.

§. XL.

Pituitoſæ ſi tartareis coniunctæ ſint partes, pleraque ex recenſitis reſoluentibus etiam his corrigendis & incidendis apta reperiuntur, vt oxymel ſquilliticum & ſimplex, eſſentiæ alcalicæ, ſalia media, inprimis arc. dupl. Mynſichti, tartarus vitriolatus, cum vel ſine addito nitro, aliisque. Ex diaphoreticis eſſ. lignorum ex acribus rad. ari, ex amaris rad. helenii, herba hyſſopi, elix. proprietatis, ex aromaticis rad. pimpinellæ albæ, eiusque eſſentia, præ aliis intentioni ſatisfaciunt, quanquam & reliqua harum claſſium itidem bonum edant effectum. Talia itaque tunc inprimis eligenda, & reliquis miſcenda, vel apte interponenda, ſunt, pro circumſtantiarum ſpecialiſſimarum conditione præſente.

§. XLI.

Correctio partium tartarearum & pituitoſarum dictis quidem fit, ſed non promiſcue, cum illæ haud ſolæ ſint, ſed immerſas gerant partes ſalinas diuerſas, acrimoniam illam eminentem efficientes. Igitur ſelectus aperientium ita eſt inſtituendus, ne, dum craſſas partes reſoluere, & fluxiles reddere, ſtudemus, acrimonia deterior & nocentior euadat, ſed potius, ſi fieri poſſit, vna corrigatur. Cum itaque aperientia abſorbentia, martialia temperata, ſalia media fixa, diaphoretica blanda, & diluentia, quamlibet acrimoniam vna temperent, acria fixiora & temperatiora vero, & amara mitiora, rite adhibita, nullam acrimoniam vehementiorem reddant, in omni acrimonia, craſſioribus immerſa, pro his reſoluendis adhiberi

poſſunt,

poſſunt, adeoque magis vniuerſalia ſunt. Reliqua autem prudentem ſelectum poſtulant.

§. XLII.

Acidam igitur acrimoniam eminentem ſi coniunctam habeant partes craſſæ, vel etiam mediam ſeu ſalſam, præter dicta aperientia vniuerſalia, conueniunt magis alcalia fixa & volatilia, vt & media volatilia v. g. liquor cornu cerui ſuccinatus, acria volatilia antiſcorbutica, amara potentiora, & aromatica. Acida autem omittenda tunc ſunt, niſi ſpeciales circumſtantiæ horum cum reliquis mixtionem, vt pituita ſimul abundante, poſtulent.

§. XLIII.

Lixiuioſa autem, ſeu glioſa, vel acido-bilioſa acrimonia eminente, non conueniunt ſalia alcalia fixa vel volatilia, nec acria volatilia, nec aromatica, nec amara fortiora, & ſimul exagitantia, proſunt, quin potius tunc acida temperatiora, ſalia media, & in his maxime nitroſa, ſeligenda ſint, quæ vna cum aperientibus mitioribus laudatis, in omni acrimonia eminente vtilibus, effectum deſideratum edunt. Diluentia etiam in hoc ſtatu magis demulcentia conueniunt, vt lac bubulum, caprillum, aſininum, ſerum lactis, lac ebutyratum, vel per ſe, vel cum aperientibus blandis coctum, vt cichorio, endiuia, taraxaco &c. emulſiones ex ſeminibus 4. frigid. mai. amygd. dulc. pineis mundatis, cum aquis antiſcorbuticis temperatis concinnatæ. Poſſunt tamen etiam, hac acrimonia lixiuioſa præſente, acria volatilia ſpecifica, aliaque, quandoque locum habere, ſi tam minori doſi reliquis miſceantur, maxime talibus, quæ temperare, & mitiora reddere, illa valent; quam refrenantia, temperantia, & mitigantia, prudenter interponantur, vt nitroſa, & reliqua, acrimoniam hanc compeſcentia. Ita cochlearia addita acetoſa

tosa, becabunga, & similibus mitior fit, vt &, si lactis & seri lactis accessio fiat in decoctis.

§. XLIV.

Generatim enim acrimonia eminens correctionem sui requirit, quam praestant ea, quae salium vim infringunt, eadem vel temperando, vel euacuando. Ex aperientibus quae vna mitiora salia reddant, dictum iam est, quibus & reliqua combinari, & interponi, debent, quae id efficiunt. Talia autem sunt vel terrea absorbentia reliqua, superioribus laudatis adnumeranda, vel sulphurea, salibus acribus carentia, eisque impraegnata aquea, quae & ipsa diluendo per se salium vim debilitant. Conueniunt itaque cinnabarina, succinata, semen lycopodii; dulcia blanda & pulposa, vt glycyrrhiza, passulae, pruna dulcia, caricae pingues, dactyli; sulphureo-aquosa, gelatinosa, mucilaginosa, farinacea, vt decoct. hordei simplex, cum cornu cerui, rasura eboris, scorzonera, decocta auenacea, quorsum & lac & serum lactis & emulsiones ex semin. 4. frigid. mai. amygdal. dulcibus, pineis, pertinent; sulphurea anodyna, opiata: ess. anod. laudan. opiat. diascord. Fracast. Syluii, pilulae de styrace, de cynoglossa &c.

§. XLV.

Crassae, tartareae, pituitosae & salinae partes, per dicta correctae, in organis depurantibus secernuntur, in partibus excretoriis autem eliminantur, adeoque etiam imminuuntur. Non autem semper sufficiente id fit quantitate, ergo tunc euacuantibus aptis imminutio conueniens erit praestanda. Conuenientia hic sunt lenientia & purgantia blanda & mitiora; fortiora autem & acria, nimiam exagitationem inferentia, serumque blandum vna nimis depauperantia, damnum potius inferunt, & semper aegri deteriores & debi-

liores inde euadunt, ſymptomataque augentur. Nec mitiorum crebrior repetitio vtilis eſt, ſed indicantibus præſentibus reſpondens adhibitio. Humoribus igitur ſatis correctis, ſubactis, & concoctis, febrique, ſi adſit, prius mitigata, proſunt purgantia. Talia ſunt pilulæ tartareæ lenientes Wedelii, Schrœderi, Bontii, aliorumque, gialappa, rhabarbarum, ſenna, fibræ hellebori nigri veri, puluis diaſennæ, elix. proprietatis alcalicum, pulpa caſſiæ, tamarindorum, ſirupus roſarum ſolutiuus cum ſenna, ſir. de cichor. c. rhabarb. pilulæ de gummatibus Sylu. pil. coch. maior. pil. de fumaria, hier. ſimpl. hier. c. agar. aloephanginæ, aliquando & mercurius dulcis, reliquis apte iunctus; ſal Epſom, Sedlicenſe, arcan. duplicatum, ſal polychreſt. Sylu. cremor. & cryſtalli tartari, vel per ſe, vel aliis addita. Clyſterum etiam haud raro vſus eſt ad aluum reſerandam, ſi vires debiles, vel aliæ circumſtantiæ, eosdem requirant.

§. XLVI.

Per emetica partes craſſæ lentæ tartarea, acresque ipſis immerſæ, haud commode euacuantur, cum non in ventriculo, ſed tota maſſa ſanguinea, hæreant, adeoque per ordinaria loca rectius id fiat. Si autem cruditates, in ventriculo collectæ, ſurſum vergant, & ſpecialia indicantia adſint, pro his expellendis quandoque in ſcorbuto prodeſſe poſſunt. Caute tamen vitari etiam tunc debent, ſi debilitas virium aliaque contraindicent, & tutior educendi modus magis eligendus eſt.

§. XLVII.

Melius imminutionem præſtant diaphoretica, quæ & corrigunt, & per poros cutis euacuant, potiſſimum partes ſalinas acres liberatas, & mitiores prius redditas, reliquas autem craſſiores reſoluendo, reliquis in orga-

organis vt exire possint, habiles efficiunt. Ideo quoque inter aperientia iamdum reperiuntur, eo magis reliquis iungenda & interponenda; quia & corrigunt & minuunt partes vitiosas. Nec minoris vsus sunt diuretica, itidem superius sub aperientibus recensita, quæ & resoluunt, & corrigunt, & euacuant per vias vrinarias, per quas ordinaria tartarearum particularum eliminatio, secundum naturam quoque, fit.

§. XLVIII.

Ad crassas, lentas, tartareas, partes minuendas venæsectio idonea non est, cum & vtiles actiuas simul euacuet, quibus ablatis reliquæ crassiores adhuc euadunt; in nimis acribus vero, efferatis, & rarefactiuis, proportionate deplendis, aliquando vtilis est, vt in arthritide vaga scorbutica, hæmorrhagiis nimiis, febribus &c. reliquis tamen circumstantiis consentientibus, & excessum vitando. Salinis partibus, sero immersis, euacuandis, & reuellendis, etiam fonticuli quandoque inseruiunt, inprimis, si alicubi decubitum illæ adquirant, & negotium ibi seorsim facessant.

§. XLIX.

Partium balsamicarum & spirituosarum restauratio iisdem laudatis, crassas & acres partes corrigentibus & minuentibus, obtinetur. Nam hoc ipso ex alimentis adsumtis eædem melius in massam sanguineam deriuantur, ibidemque euoluuntur, earumque dissipatio nimia impeditur, & fixatio & debilitatio prohibetur. Maxime autem, præter hæc, partes balsamicas augent & restituunt sulphurea balsamica temperata, vt radix helenii, herba scordii, chamedryos, chamæpyt. beton. summitates abietis, oculi populi, lignum aloes, iuniperi, myrrha, succinum, mastix, gummi opobalsamum &c. & ex his parata, vt ess. succin.

succin. scord. ligni aloes, myrrh. balsamica, elix proprietatis antiscorbuticum, aqua summ. pini, ess. & aqua oculorum populi. Spirituosas & balsamicas restaurant & depressas & fixatas euoluunt ac liberant, quæ sale volatili, vel simplici vel oleoso, gaudent, vt & sulphurea spirituosa, vnde antiscorbutica volatilia, acria, aromatica omnia, & reliqua, superius sub aperientibus iam adducta, huic intentioni vna satisfaciunt, prudenter selecta & applicata, vt ibidem iam dictum est.

§. L.

Motus progressiuus sanguinis tardior & debilior emendatur, & conueniens eo ipso redditur, si per iam laudata eiusdem crassitudo tollatur, & partes impellentes restituantur & roborentur. Tenuitatem enim decentem si adquisiuerit sanguis, per vascula viscerum, reliquarumque partium, minima facilius transire valet, partibus spirituosis autem restauratis, impulsus vegetior euadit, maxime, si fibræ cordis, vasorum viscerum, & musculorum, firmiores simul reddantur per absorbentia & leniter adstringentia, aperientibus recensitis partim iam inhærentia, partim de nouo combinata, vel interposita. Vnde martialia, terrea, testacea, amaricantia, & similia, id efficiunt.

§. LI.

Abundantia sanguinis, seu plethora, si coniuncta sit scorbuto, per venæ sectionem optime corrigitur, siue ex aliis causis, siue ex suppressis mensibus, vel hæmorrhoidibus, nata sit. Virium tamen, reliquarumque circumstantiarum, habenda est ratio, vt illæ sufficientes adsint, & conseruentur, nec alias damnum potius, quam vtilitatem, adferat hæc euacuatio. Vnde parca magis conuenit, & si necesse sit, repetita, ita enim vires conseruantur. Largam enim hic morbus haud fert, vires

res enim fatiſcunt inde, & cachexiæ ac hydropi via paratur.

§. LII.

Effectus huius obſtructionis, ſeu ſymptomata ſcorbuti, remouentur, & corriguntur, ſi cuiuslibet adfectus, a ſcorbuto foti, indicationibus ſpecialibus vna ſatisfaciamus. Hoc autem fit, vel ea ex remediis antiſcorbuticis ſeligendo, quæ hiſce ſcopis ſimul recte conueniunt; vel medicamentis, quæ alias tali adfectui, ſibi relicto, adæquata ſunt, antiſcorbutica apta remiſcendo aut interponendo. Atque hoc tam de internis, quam externis valet remediis. Cauenda ſimul ſunt in talibus morbis, quæ quidem alias prodeſſe ſolent, ſi abeſſet ſcorbutus, præſente autem eodem lædunt, & ita adfectum inde dependentem grauiorem reddunt. Exemplo ſit hydrops ſcorbuticus, qui purgantia haud ita admittit, vt ordinarius, maxime in principio, ſed magis circa finem, humoribus ſatis præparatis, correctis, & aptis redditis, & quidem blandiora & mitiora magis, ſi ſint neceſſaria, eſſe debent. Haud raro autem ſine purgantibus fuit curatus. Ergo ſemper ſimul adfectus præſentis & ſcorbuti fouentis habenda eſt ratio, vt aptæ indicationes formentur. Specialiora, cum peculiarem tractationem poſtulent, perſequi iam non licet, alia autem occaſione exhibebimus.

§. LIII.

Diæta in ſcorbuto generatim vtilis hæc eſt, vt aer eligatur temperate calidus, ſiccus & purus, frigidus vero & humidus, craſſus, vliginoſus, quouis modo vel vitetur, vel corrigatur. Hoc obtinetur per ignem & ſuffimenta, illud per loci mutationem, ſi is in culpa ſit. Quantitas alimentorum nimia abſit, proportionata autem obſeruetur. Cibus craſſus, lentus, viſcidus, acidus, fumo vel aere induratus, muriaticus, farinaceus,

non

non fermentatus &c. alienus hic eſt. Condimenta ciborum acria, & aromatica in frigido ſcorbuto proſunt, in calido autem blanda acida, vt ſuccus citri, acetoſæ, non autem acetum, conueniunt. Potus ſit cereuiſia probe defæcata; vini Rhenani, vel ſimilis, moderatus vſus confert, in calido autem ſcorbuto vel omittatur, vel temperetur aqua, vel parcius hauriatur. Somnus moderatus, ſed ſufficiens, ſit. Motus blandus idoneus eſt, nimius torpor & otium nocent, debilibus autem quies proportionata conueniens eſt. Triſtitia, mœror, curæ, inprimis arceantur, & quouis modo animus tranquillus comparetur. Excretiones naturales in ſtatu proportionato conſeruentur, ne vel exceſſus, vel defectus, fiat.

SOLI DEO GLORIA!